

de illa meritis & videri & esse voluit. Ferunt igitur multa & ampla hinc inde collata: quo factum est, ut plerique in Patriciatum eo nomine assumpti sint. Sed quum illa omnia apud quosdam legissem, qui in huiusmodi rebus explicandis sunt maxime occupati, illud sane me non mediocriter movit, quod si non rei, animi certe & pietatis in patriam eximiæ fuisse existimo. Tradunt Matthæum quendam Faseolum, municipem Clodiensem (is, capta ab hoste patria, cum liberis Venetias se contulerat) in curia professum amisisse se fortunas omnes, quæ multorum millium aureorum nummum summam exæquassent: quod si ad eam diem salvæ essent, libens pro salute patriæ eas in medium contulisset: verum superesse adhuc sibi & filiis duobus vitam, quam se patriæ ac Patribus elargiri pronuntiavit. Uterentur igitur terra marique suo munere, paratos esse se illud unum, quod sibi reliquum fortuna fecisset, pro publica salute effundere.

*Matthæus
Faseolus fa-
cultatibus
exutus vi-
tam offert.*

Genueses, audito novæ classis apparatu, veriti ne Venetus exteriore fluctu silentio noctis circumvectus, portus quem tenebant, aditum occuparet, inde introrsum eruptione facta, reliqua civitas levioribus navigiis usi, a fronte & lateribus incurfando Ligusticam classem circumfisterent, atque ita in orbem pugnare coacti, ad unum caderentur, soluta obsidione Clodiam abeunt: rati fore, ut comineatibus mari terraque interclusis, fame Venetus domaretur. Verum antequam inde abirent, præsidium diruunt, Medoacum Popiliamque funditus evertunt; modicoque interjecto tempore quatuor & viginti Ligusticæ triremes in Carnorum oram frumentatum exivere, salis (cujus vim ingentem secum advexerant) cum tritico & aliis frugum generibus commutandi consilio. Interim tres Ligusticæ triremes earum, quæ ad custodiam portus relictæ erant (reliquis, ne urbs sine præsidio esset, remigia Ligur ademerat) quotidie Salinam turrim (quod unum in stagnis præsidium Venetis reliquum erat) circumvectæ, eos qui locum tenebant, subitis incurfibus territabant. Trecenta minora navigia cum Ganzariolis quinquaginta ad il-

*Ligur, solu-
ta obsidione,
Clodiam se
recipit.*